

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Gloria eterna b cum fonte primo

Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax, ubi nichil aduersi nec a se ipso nec ab alio quisque pacietur. Premium uirtutis erit ipse qui uirtutem dedit, eique se ipsum quo melius et maius nichil possit esse promisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit: Ero illorum Deus et ipsi erunt michi plebs; ubi ego ero unde scientur, ego ero quecumque ab hominibus honeste desiderantur et uita et salus et uictus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur quod ait Apostolus: Vt sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigacione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus procul dubio erit omnibus sicut uita eterna communis.

Augustinus libro XXII. de ciuitate Dei.

Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam nec adulatione laudabitur;
uerus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus; uera pax, ubi nihil aduersi nec a se ipso nec ab aliquo quisque patietur. Praemium uirtutis erit ipse, qui uirtutem dedit eique se ipsum, quo melius et maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit: *Ero illorum Deus, et ipsi erunt michi plebs* (Leu. 26:12), nisi: «Ego ero unde scientur, ego ero quecumque ab hominibus honeste desiderantur, et uita et salus et uictus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona»? Sic enim et illud recte intellegitur, quod ait apostolus: *Vt sit Deus omnia in omnibus* (I. Cor. 15:28). Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigacione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, sicut ipsa uita aeterna, communis.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 22, 30 (CCSL 48, B. Dombart ed., pp.862-3, ll.21-36).